UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitvlatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die nona Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Visual Library

enim illa maritata fuit, eiusque memoria celebratur in vita filij ſui, Grodegandi, epiſcopi Metenſis.

Die nona Iunij.

De ſancto Agilolpho martyre, epiſcopo Colonienſi.

Ex diuerſis.

COloniæ natalis & tranſlatio S. AGILOLPHI, eiuſdem vrbis archiepiſcopi & martyris. Hic Ioppiliam veniſſe ſcribitur ad ægrotantem Pipinum principem, multumque adlaboraſſe, nè hæredem ſcriberet Carolum Martellum, ex Alpaïde pellice genitum. Quod tamen impetrare non potuit. Deinde paſſus eſt martyrium in pago Arduennenſi Amblauæ, qui locus à prȩterfluentis fluminis nomine ſic vocatur: & in eccleſia S. Laurentij, Malmundarienſi monaſterio contigua, ſepultus eſt, & varijs claruit miraculis. De ipſo ſcriptum eſt Malmundarij in libro miraculorum ſancti Quirini martyris: *Nobili ſtirpe editus, Anglino loci huius abbati, à parentibus eſt traditus, ſub inſtitutione monachi regulariter informandus. Qui patris ſpiritualis mores imitatus, eiuſdem in voluntate Dei ſucceſſor eſt factus: dein ſedi Colonienſi antiſtes datus, abbatis etiam non depoſuit onus, donec vtrumque ſtrenuiſſimè gubernando, propter fidem regni, apud Amblauam coronatus eſt martyrio, atque apud nos, vbi abbatis nomine præfuerat & opere, vſque dum Deus voluit, locum habuit ſepulturæ.* Chronicon verò vulgatum Colonienſe habet occiſum eſſe ab hoſtibus, dum cauſa pacis à Martello ad Saxones mitteretur: quodque à Brunone, qui frater erat Othonis

In vita S. Swiberti, capite 25. Cal. Martij.

In lib. Malmundarij manu-ſcripto.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Imperatoris, Coloniam ad gradus ſit delatus. Sed ego cædem epiſcopi ad tempora filij aut nepotum, qui etiam contra Saxones bellauerunt, referre non dubito; eo quod literæ Zachariæ, qui mortuo Martello factus eſt pontifex, de legato Bonifacio recipiendo ad eum etiam dirigantur. Deinde hiſtoria ſancti Annonis, cui multum eſt tribuendum, teſtatur ſancti Agilolphi corpus ex Malmundario auectum eſſe Coloniam per ſanctum Annonem, vbi id repoſuit in monaſterio ſuo ad Gradus. Eſt autem Malmundarium ſecunda ſancti Remacli abbatia, à Stabulenſi dependens, olim diœceſis Colonienſis: ſed nunc, niſi fallor, Leodienſis territorij, quo ad vtramque iuriſdictionem. Dum enim beatus Poppo his præeſſet, ſtabiliuit perpetua lege, vt Malmundarienſes profeſſionis ſuæ ſponſionem apud Stabulenſes facerent. Natalis incidit in vltimum diem Martij: ſed à Colonienſibus ſimul cum tranſlatione recolitur die nona Iulij: eo quod in fine Martij eccleſia ſemper occupetur officio Quadrageſimæ, aut paſſionis vel reſurrectionis Domini.

Lib. 2. vita Bonifacij.

Lib. 1. c. 17. die 4. Decembris.

Hiſtoria B. Popponis c. 29. die 25. Ianuarij.

Decima die Iulij.

1°. *De S. Amalberga virgine Tamiſienſi.*

IN portu Gandauo, in monte Blandinio, ſanctiſſimæ virginis Chriſti AMALBERGÆ. Hæc virgo ex Arduenna, conſilio ſancti Willibrordi, Beliſiam venit inſtruenda; vbi ſanctiſſima Landrada præerat monaſterio quod exſtruxerat. Brachij eius os confregiſſe putatur Carolus Martellus princeps, vt eam ſibi raperet ſponſam. Quam etiam planè cepiſſet vxorem, niſi pudicitia virginalis